



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.8. Causæ sperandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

occissent, quam tam ex iustitia causa, tam ex  
priorum precibus, tum vel maxime à divino sub-  
sidio conceperant. Hanc spem & nos conci-  
pere possumus, si eandem habeamus condi-  
tionem.

Atque hîc de iustitia causæ nihil dispu-  
tabo, si enim de Religione Catholica agi-  
tur, tam parum de iustitia causæ, quàm de  
ipsa Religione licet nobis dubitare. Possunt  
quidem fluctus excitari, & nauicula Petri  
fluctuare; mergi tamen illa non potest,  
quamvis in ea Christus dormire videatur.  
*Porta inferi non praualebunt aduersus eam.* Matth. 8.  
Agi autem de Religione nec Sueci negant, 25  
& Protestantes apertè fatentur; Catholici Matth. 16.  
autem omnes vident, & experiuntur. Su-  
mus itaque in hoc Italis pares, quia & tunc  
contra Ecclesiam agebatur. Quamquam  
autem Deus hanc tempestatem immittat ad  
probandam Ecclesiam suam, vt eam exal-  
tet, iuxta illud: *Antequam conteratur, ex-* Prov. 18.  
*altatur cor hominis, & antequam glorificetur, 12.*  
*humiliatur;* tamen etiam alias quoque quàm  
plurimas causas habet nos affligendi, ob  
peccata scilicet nostra. Quid enim? an tri-  
bus illis innocentissimis viris innocentiores  
sumus? aut sanctiores? Illi autem in horri-  
bilibi

VIII  
CAUSSAR  
SPERAN-  
DI

Matth. 8.  
25  
Matth. 16.  
18.

Prov. 18.

Dan. 3.  
26,

bile illud fornacis incendium proiecti ita locuti sunt: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum, nomen tuum in secula: quia iustus es in omnibus, quae fecisti nobis, & uniuersa opera tua vera, & via tua recta, & omnia iudicia tua vera. Iudicia enim vera fecisti, iuxta omnia, quae induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, & in iudicio, induxisti omnia haec propter peccata nostra. Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus: & praecepta tua non audiimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut praeceperas nobis, ut bene nobis esset. Si talis est confessio trium illorum Sanctorum, quis nostrum*

1. Ioan. 1.  
8.

*audet se putare innocentem? Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Est quidem ita, ut, quemadmodum nigerrimi Aethiopes se arbitrantur minimè deformes, sic & maximi peccatores se ipsos excusent atque*

Prou. 18.  
23.

*existiment minimè peccauisse; quia impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: at in quo scintilla est lucis diuinæ, fidei, ac pietatis, facile se agnoscit prauari-*

2. Ioan. 1.  
29.

*catores. Etenim si dixerimus quoniam non pecca-*

pecca-

peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. At si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Est ergo hæc altera causa, ob quam nos bellis exercet, ut mundet, ac sanet; Ecclesiamque suam velut agrum sentibus oblitum purget. Nec antè cessabit, quàm nos celssemus sentes, & spinas, & tribulos proferre. Vbi autem viderit, nos confiteri peccata nostra, quod maximè quærit castigatione sua, & ipse gladium in vaginam reponet. Est enim velut peritus medicus, qui ut ægotantem feбри liberet, chirurgus astat, eumque iubet venam ægri secare, nec antè sinit sisti sanguinem, quàm videat tantum emissum, quantum iudicat necessarium ad sanitatem: Ita Deus bella mittit & hostes, isti sunt Chirurghi Numinis, isti tam diu mittunt nobis sanguinem, donec Deus jubeat eum sisti. Non jubet autem, donec videat in nobis signa sanitatis. Signa autem sanitatis sunt, si ad eum conuertamur.

Quid moramur igitur? An nondum satis sanguinis misimus? An nondum satis percussi obstupescimus, neq; plagam sentimus?

B

Itali

IX.  
AUDIENDOS  
ESSA  
POENIA